DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

1184 b 9
4

DE

PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHÆUS SCOTT MOORE,

HIBERNUS;

CHIRURGUS.

Si conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia et dignitas; intelligemus quam ſit turpe, diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; quamque honeſtum, parce, continenter, ſevere, ſobrie.

CICERO.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

BRITISH MUSEUM

43.
10. 10.
254.

AMICO SPECTATISSIMO

JOANNI DUNGAN,

HAFNIÆ

ARMIGERO,

MORUM COMITATE, URBANITATEQUE

SPECTABILI,

ARTIUM SCIENTIARUMQUE

FAUTORI EXIMIO:

NECNON

VIRO INTEGERRIMO,

GUALTERO WOOD,

EDINBURGENÆ

ARMIGERO,

OMNIBUS VIRTUTIBUS, QUÆ CIVEM ORNANT

CONSPICUO,

OB INSIGNEM ERGA EUM AMICITIAM

INTER CURRICULUM ACADEMICUM,

HANC PARVAM EHEU! SED SINCERAM

OBSERVANTIÆ TESSERAM,

OFFERT

AUCTOR.

AVUNCULO DILECTISSIMO

JACOBO HAMILTON MOORE,

HAFNIÆ

ARMIGERO.

Ut publicum teſtimonium animi gratiſſimi, pro magnis ſe ſuoſque collatis beneficiis, has primas in arte medica elucubrationes, ea, qua decet, reverentia lubens conſecrat.

MATTHÆUS SCOTT MOORE.

CORRIGENDA.

Pag. 7.	lin. 8.	*pro* recurrant,	*lege* recurrunt.
10.	11.	— flatu,	— flatus.
13.	7.	— feminæ,	— fœminæ.
30.	5.	— preceptoribus,	— præceptoribus.
30.	11.	— preceptoribus,	— præceptoribus

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

AUCTORE MATTHÆO SCOTT MOORE.

QUONIAM omnium in hac inclyta academia, ad medicinæ ſtudium incumbentium, mos eſt, priuſquam curriculo academico finem impoſuerint, honoreſque in arte Apollinea ſummos conſequuti ſint, quoddam induſtriæ, et in ea arte notitiæ, ſpecimen, eruditorum examini ſubjicere; inſtitutioni laudandæ morem gerens, invite quamvis, in char-

tis apparere cogor, de Podagra perfunctorie differere, ea, qua par est diffidentia, decrevi.

Cullenus, in æstimabili synopsi nosologiæ sua, Podagram verbis sequentibus satis accurate definivit.

" Morbus hæreditarius, oriens sine causa " externa evidente, sed præeunte plerumque " ventriculi affectione insolita ; pyrexia ; dolor " ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe " pedum et manuum juncturis, potissimum in- " festus, per intervalla revertens, et sæpe cum " ventriculi, vel aliarum partium internarum " affectionibus alternans."

Idem nosologus eximius, morbum, de quo nunc quæstio est, in quatuor species, regularem nempe, atonicam, retrogradam, et aberrantem, dividere curavit. De his singulis, in symptomatibus et curatione, valde diversis, quam brevissime potero, in paginis subsequentibus dicere conabor.

DE

DE PODAGRA REGULARI.

Definitio: " Podagra cum inflammatione ar-
" tuum ſatis vehemente, per aliquot dies per-
" ſtante, et paulatim cum tumore, pruritu, et
" deſquammatione partis, recedente."

Podagra nonnunquam improviſe invadit, nullis præmiſſis nuntiis; plerumque autem nonnulla ventriculi male ſe gerentis ſigna, per aliquot dies, huic morbo præcedunt, et eum inſtare prænuntiant. Quantum ex optimis de affectione podagrica ſcriptis colligere potui, ſymptomata paroxyſmum præcedentia ſunt, ſudoris e pedibus ſtillare aſſueti ſuppreſſio; pedes et ſuræ ſenſu frigoris inſolito afficiuntur: his accedunt, torpor, vacandi dulcedo, formicationis quaſi ſenſatio, muſculorum cruris affectiones ſpaſmodicæ, et denique venæ partis magnopere tument, et varicoſæ fiunt.

Interim corpus totum languore, laſſitudine, et gravedine quadam, afficitur, ventriculus functionis ſuæ exercendæ impos fit, cibi deſiderium multum imminuitur, tum oppreſſio, ructus, cruditas, inflatio, aliaque concoctionis pravæ indicia ſeſe oſtendunt; et poſtremo, ut teſtatur ſpectatiſſimus auctor, cibi appetentia pridie paroxyſmum voracior, non tamen naturalis, evadit.

His affectionibus per octo vel plures dies continuatis, tandem ſumma vi verus detonat paroxyſmus, atque, ut ex fide omnium, qui de hoc malo ſcripſêre, ſatis conſtat, ad galli cantum, vel circiter ſecundam tertiamve horam matutinam plerumque impetum facere ſolet: veſperi quoque, præſertim ſi morbus jam inveteraverit, aliquando adoritur.

Dolor ſubitaneus excrucians hominem ex ſomno dulci excitans, in aliqua pedis vel manus parte, præſertim in articulo pollicis pedis, primo

primo effrænata vi ſævire incipit, cui ſe præbent comites, horror, rigor, et pyrexiæ incipientis ſigna uſitatiſſima, donec dolor ceſſaverit, permanſura. Dolor, ingruente etiam malo, vix tolerabilis, ad veſperam proximam uſque, gradatim creſcens, diris miſerum ſuppliciis exagitat, donec tandem ad noctis mediam proximæ ſequentis, vel ſaltem ſpatio viginti quatuor circiter horarum, primum poſt acceſſum, ſudore leni prorumpente, in parte imprimis affecta, ſenſim miteſcit, ægrumque membra cruciatibus confecta, in gremio ſomni reficere finit.

De angoribus, quibus podagricus excruciatur, judicium ferre poſſemus, ex clar. Sydenhami verbis, qui eos ſæpiſſime expertus eſt. " Dolor autem hic, inquit ille, primo remiſſior, " gradatim intenditur, idque in ſingulas horas; " donec tandem ad apicem pervenerit, ſed ad " varietatem officulorum tarſi et metatarſi " quorum ligamenta obſidet, perbelle accommodans,

" modans, nunc tenſionem violentam vel liga-
" mentorum iſtorum dilacerationem, nunc mor-
" ſum canis rodentis, quandoque preſſuram et
" coarctationem exprimens; ad hæc ita vivum
" exquiſitumque habet ſenſum, ut nec linteo-
" rum ſuperincumbentium pondus, nec cubi-
" culi a fortiore ambulatione concuſſum, fere
" valeat."

Poſtridie cum e ſomno evigilet æger, partem rubore et tumore correptam cernit; et hæ affectiones per aliquot dies perſtantes tandem paulatim recedunt, ſuperveniente cuticulæ deſquammatione, cum pruritu præcipue inter digitos, vix tolerabili. Minime attamen tali paroxyſmo malum contentum diſcedit; plerumque enim dolor, et pyrexia, et alia ſigna per nonnullos dies, cum jam crepuſculare inciperit, multum ingraveſcunt, et ad auroram uſque vehementius perſtant; tandem dies circiter quatuordecim primum poſt acceſſum, morbus omnino evaneſcit, atque ægrotum et corpore et

animo

animo magis vegetem, meliorique quam antea valetudine fruentem, et ab multis, quibus ante plectebatur morbis liberum relinquit, non nisi longo post tempore, eum revisurus.

Initio morbi, paroxysmorum intervalla per tres quatuorve annos sæpe durant; in morbi verum decursu, frequentius accessiones ejus recurrant, et veteranus podagricus, qui jam binos paroxysmos in anno longos patitur, vix a dolore immunis vivit, in æstivis etiam mensibus.

In primis morbi accessibus, juncturæ affectæ robur et motus solitos cito recuperant, progrediente verum malo, concretiones quædam cretam natura referentes, subter cutem formari observantur. Primum, ut videtur, sub forma fluida deponuntur, et postea, absorpta parte tenui, terrenæ, friabiles, et in acidis solubiles evadunt. De dotibus autem chemicis

vel

vel de generatione harum, nihil ultra compertum habeo.

Hicce morbus in uno ſolummodo pede primum tyrannidem exercet; aſt in progreſſu ſuo pedes ſæpe alternatim afficit, et aliquando, ſed rarius, ambo ſimul cruciantur; et his demum relictis, ſævit immani vi in aliis corporis partibus; e. g. in manu, in carpo, aut genu, vel denique atonicus fit, et hominis penetralia immiſericorditer coquit; donec vitam afflictiſſimam, et jamdiu non vitalem, cum morte ærumnarum requie, feliciter commutat.

Graſſante paroxyſmo, corporis functiones nonnihil turbantur; alvus plerumque ſtrictior juſto evadit; cibi appetentia langueſcit; urina exigua quantitate reddita ſedimentum fuſcum arenoſum demittit; mens quoque dejecta, et meticuloſa; ægerque læviſſima de cauſa iracundus et ſtomachoſus fit.

Si

Si Podagra diu inveteraverit, plerumque affectionibus organorum urinæ ſecretioni inſervientium ægrotum obnoxium reddit, et ſæpe cum iis alternat; in paucis quoque exemplis, affectione arthritica omnino evaneſcente, in extrema ſenectute æger nephralgia calculoſa fere perpetuo vexatur.

Peracta jam ſymptomatum Podagræ regularis narratione, nunc cæteras varietates inordinatas depingere aggrediar.

DE PODAGRA ATONICA.

Definitio: "Podagra cum ventriculi vel "aliûs partis internæ atonia, et vel ſine expec- "tata vel ſolita artuum inflammatione, vel "cum doloribus artuum lenibus tantum et fu- "gacibus, et cum dyſpepſiæ, vel aliis atoniæ "ſymptomatis, ſubito ſæpe alternantibus."

In hac morbi forma, ſymptomata valde inter ſeſe diſcrepant, prout varias quas fatigat partes: ergo ſi ventriculum occupet, quod equidem frequentius contingit, ructus, flatus, cibi faſtidium, dolor ventriculi, nauſea, vomitio, aliaque dyſpepſiæ comites et ſigna, maxime urgent; alvus nunc pertinaciter conſtipatur, nunc proluvie violenta, torminibuſque diris vexatur; dolores ſpaſtici in diverſis corporis partibus, uti in trunco et brachiis, ſuperveniunt, quibus flatu eructationes ſæpe multum auxiliantur.

Si pectoris cavitatem invadat, aſthma, palpitationem, dyſpnœam, gignit; ſi cerebrum afficiat, cephaleam, vertiginem, et apoplexiam, vel paralyſin concitat; et denique in omni fere caſu, æger timore, anxietate, diffidentia, et aliis morbi hypochondriaci indiciis vexatur.

DE

DE PODAGRA RETROGRADA.

Definitio: "Podagra cum inflammatione "artuum ſubito recedente, et ventriculi vel "aliûs partis internæ atonia mox inſecuta."

In hac Podagræ varietate, morbus formam regularem aliqua ſaltem ex parte induit; prius autem quam ad acmen pervenerit, inflammatio et dolor articuli ſubito ceſſant, et ad partes vitæ maxime neceſſarias ſe conferunt; ſtomachus, hic quoque, ſæpiſſime afficitur anxietate, dolore acuto, vomitu: nonnunquam cor occupat, et palpitationem, animique defectionem ſuſcitat; ſi caput tentat, apoplexiæ, paralyſi, mentiſque imbecillitati anſam dat, et in pleriſque his exemplis, ægrotum ſine mora ad orcum præcipitat.

DE PODAGRA ABERRANTE.

Definitio: " Podagra, cum partis internæ in-
" flammatione, vel non prægreſſa vel prægreſſa
" et ſubito recedente, inflammatione artuum."

In hac morbi forma, pars quædam interna inflammatione corripitur, et ſigna eam adeſſe indicantia maxime eadem ſunt, ac in inflammatione vera, originem ab cauſa longe diverſa trahente. CULLENUS equidem dubitavit an unquam partem internam occupet, nulla articuli prægreſſa affectione, an ab hoc ſemper tranſlatio ſit. Pulmones, ut videtur, præcipue infeſtat, cæterum perrarò in ulla parte apparet: illuſtris enim noſologus hujus varietatis exemplum nunquam vidit, quamvis medicinam per multos annos ſumma induſtria excolúit, et noſtro eximio GREGORIO, ſemel tantum eam obſervare contigit.

CAUSÆ

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Homines, qui corporis robore maxime pollent, et ſanguine pleni ſunt, temperamenti cholerico-ſanguinei, Podagra ſæpiſſime laborant; qui reti mucoſo craſſo, capiteque grandi inſtructi, vitam otioſam et deſidem colunt; et cibo lautiore poculiſque *meracioribus indulgere* amant. Feminæ vix unquam hoc morbo plectuntur, et harum tantum quæ nimis luxurioſe vivunt, et menſarum deliciis gaudent, habitumque corporis virilem multum ſimulant.

Eunuchi quoque, qui vitam temperatam actuoſam degunt, ab morbo articulari plerumque immunes vivunt: attamen ſi in ſocordia atque deſidie, et ventris cultu, vitam turpiter conterunt, quid mirandum eſt ſi luxuriæ ſupplicia darent. Cauſarum vero, quæ ad podagram prædiſpoſitionem

prædiſpoſitionem creare dicuntur, princeps eſt labes hæreditaria, quo miniſtro, morbus poſtquam per multas fortaſſe generationes in pace requieverit, iterum, nulla alia adjuvante cauſa, acriter erumpat, in ſeros nepotes tranſiturus. Nonnulli in re medica bene merentes, nullam talem exiſtere diſpoſitionem, magnopere olim contenderunt, ſed nunc dierum, ut credo, Podagram hæreditariam eſſe omnes uno ore conclamant. Vix ante annum trigeſimum quintum impetum facit, aliquando adoleſcentes, immaturo et illicito amore vires exhaurientes, citius adoritur; et præſertim exeunte Januario, vel ineunte Februario, ſeu tempore vernali paroxyſmus pertimeſcendus eſt.

Sed quando ulmi vere tener flos abundat,
Et arguta cantat in ramis merula;
Tunc per membra acutum telum hæret myſtis,
Obſcurum, latens, ſubiens receſſus artuum.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Hactenus de cauſis quæ proclivitatem ad Podagram faciunt, nunc de iis quæ eam in corpore jam proclivi facto excitant dicendum eſt. Clar. CULLENUS cauſas hujus morbi excitantes ad duo capita refert.

Primo, Cauſæ quæ corpus plenum reddunt.

Secundo, Cauſæ quæ debilitatem in corpore pleno generant.

Primi generis ſunt, vita ignava et ſedentaria, dieta lauta, nutriens, ſtimulans, ut caro immodice devorata, laticum inebriantium potatio frequens et profuſa, exercitii tam neceſſarii ad præcavendos et arcendos morbos prætermiſſio. Hinc lucide patet, cur ruſtici, qui et multum exercentur, et labore in aëre puro aperto,

aperto, victuque ſimplice et ſano utuntur, Podagram ne quidem in ſomniis timerent.

Secundi generis ſunt, intemperantia—ſymposia enim crebre celebrata multum et varie nocent, ventriculum imprimis debilitant, et ad conficiendos cibos parum idoneum reddunt; hinc cruditates et cohors malorum, tempus quoque natura ſomno dicatum ad reficiendum corpus conſumunt—Venus immodice culta, et maxime ſi præmatura ſit, inter Podagræ cauſas excitantes enumerari debet: "Plures "vidi, qui a prima pubertate inceperant nimia "venere vires exhaurire, ante trigeſimum "ætatis annum jam miſerrime podagricos, "omnem fere pedum et manuum uſum amiſiſſe, "licet ſaniſſimis nati parentibus ſobrie ſatis "vixerint in reliquis."

Dyſpepſia ab quavis cauſa originem trahens, ſeu ex quantitate cibi immodica, ſeu ex natura ejus, ad ſolutionem in ventriculo facilem, minus

minus accommodata, corpus valde debilitet neceſſe eſt. Exinanitiones quoque inſolitæ, vel præter ordinem profuſæ, in paroxyſmo podagrico concitando multum adjuvant.

His itidem merito recenſeri debent, laboris vel exercitii ſolennis dereliƈtio ſubito et perfecta; meditatio nimis intenta, et ad multam noƈtem producta; ratio vivendi multum et ſubito immutata, præcipue ab lautiore, ad parcum et ſimplex obſonium; acidorum, aceſcentiumque uſus nimis frequens; frigus, præſertim humore conjunƈtum, pedibus admotum; variæ animi affeƈtiones, ut ira, mœſtitia, metus, vexatio, &c. novæ vel arƈtæ crepidæ attritus, ambulatio vehemens, articuli contuſio, calcatio, &c.

CAUSA PROXIMA.

Nunc fortaſſe, candide lector, tibi perſuaſiſſimum ſit, me cauſæ hujus morbi proximæ indagationem initurum; verum quanquam medici in omni ævo multum laboris impenderunt, in cauſa Podagræ proxima elaboranda, nihil adhuc, me judice, fide dignum excogitatum eſt. Quid enim dicam de theoriis antiquorum vanis, de materia morbifica, acrimoniiſque acidis? quid de doctrinis nervoſi generis ſpecioſis omni acumine CULLENI ſuffultis? quid demum de hypotheſi, magis ingenua, quam vera, ſagaciſſimi FORBES? Quæ cum ita ſint, melius duxi cauſæ proximæ conſiderationem ſilentio præterire, quam aures eruditorum ineptiis turgidis offendere.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Ab omni morbo, rheumatiſmum ſi excipias, Podagra regularis facile diſcernitur; et ab hoc quoque, ratione ad ſequentia habita. Podagra, ut in cauſis enumerandis jam dixi, morbus hæreditarius eſt, homines in provectiore ætate, plenos, ventri obedientes, temperamenti cholerico-ſanguinei præcipue vexat; rheumatiſmus e contrario ab cauſa plerumque evidente oritur, juniores viribus gaudentes infeſtat, et minime a vitio parentum originem ducit: Podagra ſexum virilem, rheumatiſmus ſequiorem fatigat; priorem plurima concoctionis læſæ indicia præcedunt, his vero alter omnino vacat. Podagra in articulis parvis, pedum ſcilicet aut manuum ſemper fere inhærit, et non niſi poſt multos reditus, plures artus eodem tempore cruciat; rheumatiſmus juncturas magnas præcipue tentat, e. g. coxendicem, humerum,

genu, &c. et non ſolum juncturæ, ſed tendines, et muſculi inter juncturas decurrentes dolore afficiuntur; et denique plurimæ eodem tempore partes laborant. His ſolicite perpenſis, diſtinctio inter rheumatiſmum et Podagram ſatis manifeſta erit. Aſt in forma morbi abnormi plus operis habet; tamen ſi hiſtoriam cujuſcunque ſpeciei jam traditam, et morbos, quibus in decurſu vitæ ægrotus vexatus fuerit, et corporis habitum ſedulo conſideremus, diagnoſin, ni fallor, in omni fere exemplo ſatis aptam excogitare poterimus.

PROGNOSIS.

Si ægrotus in flore juventutis, et vegetus, et validus ſit, ſi antea ad normam vixerit, et ad regulas in curatione ſtatim tradendas, religioſe attendere vellet, morbo adhuc in articulis parvulis hoſpitante, victoriam lætam plerumque cum fiducia fas ſit ſpondere. In ſenioribus autem

autem, jam morbis voluptateque, fractis, aliter res se habet; morbus enim sæpe abnormis est, et omne remedium spernit. Si autem cor, vel pulmones, vel cerebrum facessit, vix non eventum funestum pertimescere possumus.

CONSILIA MEDENDI.

Causa Podagræ proxima, ut jamjam dictum est, omnino in atra caligine obruta, indicationes curatorias ab attentione ad res quæ juvant aut lædunt formare cogimur. Sæviente paroxysmo, medicina ad cruciatus ejus leniendos vix sufficit, et ubi morbus ab proclivitate congenita pendit, eam corrigere radicitusve evellere certe impar est; in accessionum veruntamen intervallis, multum ope regiminis idonei fieri potest, in reditu ejus præcavendo. Indicationes igitur sunt:

I.

I. Durante paroxyſmo, rabiem compeſcere et durationem ejus breviorem reddere.

II. In paroxyſmorum intervallis, reditui morbi obſtare. Ingruente paroxyſmo ad regimen antiphlogiſticum ſtatim confugiendum eſt; a frigoris autem applicatione bene cavendum, ne morbum ad partes nobiliores pellat. Ab aëre frigido facile defenditur pars inflammata, ope panni lanei, pexæve lanæ; ſi ventriculus debilis ſit, et ægrotus liquores ſpirituoſos potare addictus, vini meracioris uno altrove poculo indulgere liceat. Vinum optimum Madeirienſe, *London particular* dictum, me judice, omnibus aliis longe antecellit.

Ineunte morbo, præcipue ſi in ægroto juniore, robuſto, ſanguinis pleno, inflammatio violens adſit, per modicam ſanguinis detractionem ægro multum opitulari poterimus; ſed caute reiteranda, ne debilitatem vel corporis plenitudinem induceret; plerumque hirudines ad partem

partem phlogoſe affectam multo cum fructu admoveri poſſunt.

Sydenhamus, multa experientia edoctus, purgantium in hoc morbo uſum damnavit: ſæpe nihilominus fæces induratæ, aliæque ſaburræ, ſtimulo ſunt inteſtinis, et totum corpus vehementer excitant. Sordibus igitur in primis viis collectis, cathartica mitiora, vel potius clyſmata emollientia, multo cum emolumento adminiſtrari poſſunt; ſemper verum in animo fixe tenendum, medicamenta plenam alvi purgationem cientia, et ventriculum, et inteſtina multum relaxare, atque reliquum corpus exinde multum nocere.

Emetica quoque nonnunquam uſui ſunt in hoc morbo, cum adeſt vomendi cupiditas; namque ventrem a bile, aliiſque in eo collectis ſordibus exonerant, et per cutem perſpirationem adaugent. Sed cautela opus eſt; draſtica

ſtica enim ventriculi tonum minuunt, et ad Podagram retrogradam, viam ſternunt.

Opium a nonnullis ſummis laudibus cumulatur, in compeſcendo paroxyſmi dolore. In initio autem paroxyſmi porrectum, vereor ne acceſſionem et ſæviorem et longiorem faciat, ſed in provectiore ſtadio, ſi pyrexia lenis ſit, vel plane evanida, ex opio præparato maxime utilia ſunt: dolores enim mitiores reddunt, ſudorem lenem ſalutarem illiciunt, et ſomnum optatum ægroto comparant. Alia remedia contra Podagram, per urbes olim multum decantata, tandem omnino obſolevêre, viz. moxæ exuſtio, veſicatoria, &c. &c.

Ex dictis facile patebit, medicinam pene inertem eſſe, durante paroxyſmo, et male ad clinici ſcopum accommodatam, ad curandum nempe, vel e corpore eliminandum morbum. Spe igitur grata Podagrici angoribus opitulandi adducimur, curationem ejus per paroxyſmorum

rum intervalla aggredi, et ſi ægrotum ex toto ſeſe conformare ad regulas ſequentes tempore et experientia longa ſtabilitas, perſuadere queamus, eſt cur ſperemus, morbum cito victum diſceſſurum. Medicamentis igitur prætermiſſis, ex regimine ſolo ſanitas petenda.

Exercitatio: Hanc, multos et ſane non parvos edere effectus, non ſolum in occurrendis, ſed etiam in curandis morbis, experientia ſatis ſuperque evincit, et in nullo præſtantiores, quam in affectione articulari. In medicinæ hiſtoria exemplum vix extat, hominis Podagra affecti, qui labore diuturno, et vultus ſudore, victum tenuem frugalem ſibi et ſuis paravit.

In uſu autem ejus bene caveat medicus, ne nimis vehemens aut diuturna ſit, vel uſque ad fatigationem producta. Rationem igitur, de ægroti viribus, et ætate, victitandique more habere oportet; ambulatio in dio aperto, et ſereno, præſertim ſi æger juvenis ſit, omnibus

certe anteponenda. Ad vitæ autem veſperam, ſi jam appropinquaverit, ſi exercitationem corporis vix tolerare poterit, et quum articuli ad inſultus magis obnoxii evaſerint, geſtatione aliqua melius eſt uti, puta, rhedis circumvectione, vel equitatione, vel denique, adhuc labentibus viribus, navigatio, vel cœli mutatio, ſummo cum fructu adhiberi, narrantur.

Exercitium autem parum prodeſſe poteſt, niſi ad victum ægroti attenditur. Hic quoque ad vitæ rationem ſolitam diligenter proſpicere oportet; in ſenibus enim, quibus vires corporis luxuria aliiſque cauſis non æquis fractæ, et effœtæ ſunt, qui ad diætam lautam ſemper aſſueti fuere, non ſubito ad parcam ſine atoniæ periculo deſcendi poteſt. Si ægrotus autem juvenis, florentibus adhuc viribus, ſeſe ad methodum vivendi ſimplicem, naturæ conſentaneam, conferre audeat, nil deſperandum eſt. De diæta podagricorum, Sydenhamus dixit: primum itaque ea in cibo potuque mediocritas

eſt

eſt obſervanda, ut neque plus alimenti ingeratur quam ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbi fomes ſubminiſtretur; neque e contra nimia abſtinentia partes ea proportione defraudentur, qua earundem robur et vigor debuerat ſuſtineri, unde etiam magis debilitentur. Diæta talis eſſe debet, ut nec plethoram, nec debilitatem nimiam, qualitate nec quantitate nutrimenti induceret; diæta igitur lactea huic maxime accommodata videtur, medium enim tenet locum, carnes inter et fruges; ſemina quoque, et vegetabilia, quæ vim farinæ magnam continent, commode cum lacte conjungi poſſint, et panem ex ſecali et tritico compoſitum, maxime ſcopo accommodatum judico; facile enim concoquitur, et ſatis nutrit, et canalem alimentarium modice laxat. Potum podagricorum quod attinet, ſat eſt monuiſſe, homini tali victu utenti, liquores fermentatos ſuperfluos eſſe; vita equidem ad finem ver-

gente, præcipue, ſi æger potationibus ſe indulgere aſſuetus fuiſſet, vinum generoſum, parca vero manu, porrigere licebit; aliter aqua, puro ex fonte deprompta, potus eſt podagricis maxime accommodatus.

Medicamenta bene multa olim in hoc morbo curando ſumma laude cumulata, poſtquam per aliquod tempus floruerunt, tandem in atra caligine merſa quieſcunt; talia ſunt, amara, et aromatica, illud præſertim remedium, a Gadibus uſque ad Auroram laudatum, pulvis ducis Portlandiæ, terræ abſorbentes, aqua calcis, &c. Nuper, nonnulli non parvi nominis, aquam Mephiticam Alkalinam magno fructu adhibitam fuiſſe aſſerunt, fides autem hujus rei penes ſit auctores. Hæc ſunt quæ de Podagræ regularis curatione dicerem, nunc quam breviſſime de abnormi dicere volo.

In ſpecie atonica, exercitatio, ac in regulari, perutilis

perutilis eſt, et huic præcipue, ni fallor, confidendum; in ſenibus, quibus vitæ vires jam deficere inceperint, diæta plena ex carne uti neceſſe eſt, vinum generoſum libera manu porrigendum, ut, vinum rubrum Luſitanicum, Madeirienſe, &c. tenuibus aciduloſis de induſtria evitatis; his ad hoſtem dirum fugandum non valentibus, liquores ſpirituoſi libere exhauriendi ſunt. Amara quoque et tonica, ad priſtinas ventriculi vires reſtituendum, maxime utilia ſunt; præſertim cortex Peruvianus, præparata ex ferro, &c. Si nauſea adſit, emeticis lenibus vomitio promoveri debet; ſi dyſpnœa, vel aſthma concitantur, opium, æther, aliaque antiſpaſmodica, optima ſunt remedia; cum caput aggreditur, in epiſpaſticis, et rubefacientibus, capiti, et pedibus, admotis, tota ſpes ſita eſt.

In Podagra aberrante, medendi methodus eadem eſt ac in inflammatione partis idiopathica,

ca, regimen nempe antiphlogiſticum, ſanguinis detractio, veſicatoria, &c.

TENTAMINE ad finem perducto, occaſionem tandem datam eſſe magnopere lætor, grates dignas ex imo pectore palam perſolvendi preceptoribus ſpectatiſſimis F. C. WINSLOW et C. F. SCHUMACHER Anatomes et Chirurgiæ in Academia Hafnienſi Profeſſoribus, ob amicitiam intemeratam, qua me medicinæ ſtudio Hafniæ incumbentem proſequi dignati ſunt; et denique preceptoribus eximiis in hac alma Academia, ſub auſpiciis quorum me prima medicinæ principia inhauſiſſe ſemper gloriabor.

FINIS.